

\_Lettera\_N\_2365

Al vescovo di Concepción (Cile) Giuseppe Ippolito Salas  
Vir Excellentissime,

\*Augustae Taurinorum in Italia die 29 Julii 1876

Ignotus homo tibi verba facturus, praestantissime praesul, veniam tibi petere debeo atque rogare ut sermonem meum clementer accipias atque patienter animadvertas. Scito ergo Divina Providentia factum est, ut religiosi viri, quibus Salesianum nomen est, Argentinam Rempublicam peterent, evangelium Christi praedicaturi. Brevi temporis lapsu, opitulante Deo, quinque domus vel hospitia pro Christiana adolescentulorum educatione adaperta sunt. Pauperiores puelli hic praesertim excipiuntur, aluntur atque ad humaniores litteras et artes diversimode deducuntur.

His missionaris nunc praecipue est in animo experimentum facere ad evangelium inter Patagones et Barbaros sive Pampas annuntiandum.

Montevideo, Buenos Aires, Sanctus Nicolaus de los Arroyos, Dolores jam vident Salesiana Hospitia. Evangelizatio per modum hospitiorum pro juvenibus derelictis via tuta atque valde proficua videtur; quam si tibi placet, ad Occidentales Patagonorum plagas experiri vellem. De hoc animi proposito jam verba feci cum Clementissimo ac Benevolentissimo Pontifice Nostro Pio IX, qui toto corde rem laudat atque commendat, sed ante omnia consilium tuum nec non iudicium valde nobis est necessarium. Nam Tua Dioecesis cum in extremis meridionalibus partibus Chilenaе Reipublicae posita sit, de rei opportunitate tu quam maxime iudicare valebis.

Ideo humiliter in Domino deprecor, ut mihi dicas:

1° Si hujusmodi rei exitus probabilis et opportunus videatur, Si affirmative dices, adde quo in loco haec hospitia essent aperienda.

2° Si Gubernium, sive Reipublicae Chilenaе auctoritas huic operi favorem praebitura, et, cum opus fuerit, auxilium suum etiam datura. Quo in casu itidem rogo te ut res auctoritati patefacias ab eademque consensum postules.

3° Quoniam in Republica sit lingua communis et quem sermonem prae aliis tecum esse adhibendum desideras. Ut autem aliquantis per negotium agnoscas dicam: Sum Superior Generalis, licet indignus, Salesianae Congregationis, quae tamquam Congregatio votorum simplicium ab Ecclesia est approbata. Plures domus, plures Ecclesias et hospitia in Italia et alibi nobis Deus concredidit.

Si tu indulgenti animo mecum egeris et propositum nostrum in actum traducendum esse judicaveris; dic mihi, quaeso, et ego omnia Romano Pontifici patefaciam, postea quidquid opus fuerit tibi annuntiabo. Nos omnes hic Deum Optimum Maximum oramus pro Te, et pro Dioecesi, quam Deus tibi regendam tradidit, Tu vero ductus amore Domini Nostri J. Christi Sanctam Benedictionem Tuam mihi et filiis meis impertiri dignare. Vale.

Humilis servus tuus

Joannes Bosco SacerdosP. S. Si quid forte mihi essent respondendum, epistula dirigatur: Al sac. Gioanni Bosco Torino Italia